

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 1255

**Auteur(s) :** Richard de Bohon, Bayeux (doyen chapitre cathédral)

**Auteur(s) :** Bayeux (chapitre cathédral)

**Bénéficiaire(s) :** Arnoul, chancelier de Bayeux [autre]

**Genre d'acte :** lettre

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** [1135-1150]

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Les droits et les revenus du chancelier Arnoul et de ses successeurs dans son personat sont nettement reconnus et confirmés par le doyen Richard Ier de Bohon, d'après l'institution des évêques Odon Ier de Conteville, Richard II de Douvres et Richard III de Kent.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCCLXXX, t. 2, p. 218-219.

## Dissertation critique

Datation proposée par V. Bourrienne.

Texte établi d'après a

Ricardus, Dei gratia Baiocensis ecclesiae decanus, et totus conventus canonicorum, Arnulfo, ejusdem ecclesiae cancellario, omnibusque ei in eodem honore canonicis successuris, salutem. Sicut a mendacio summopere lingua cohibenda est, sic, ubi necesse est, non debemus negare testimonium veritati. Ceterum, dilecte nobis frater Arnulfe, cancellari ecclesiae nostrae, cum de hiis, quae ad jus personatus tui pertinent, in capitulo, coram Ricardo, episcopo, et fratribus ageretur, antiquorum virorum et ejusdem episcopi attestatione recognitum est ea quae hic subnotata sunt, ex institutione Odonis episcopi et tuorum antecessorum, continua possessione ad jus personatus tui jure perpetuo possidere : decimam, scilicet, reddituum episcopalium de Yseigneio, et decimas omnium quae pertinent praepositis Chambremarii et Plaiseicii Grimodi, et decimam molendini de Veteri Ponte, et decimas molendinorum decani quae Baiocis sunt, et decimas molendinorum episcopi quae sunt in eadem villa, et capellam Sancti Vigoris quae est ad portam episcopi, et piscariam apud Nulleium ; et quicquid usque missarum sollempnia celebranda manibus episcopalibus offertur, deducto inde eo quod hiis debetur qui altari deserviunt ; et custodiam episcopalis sigilli et hiis quae ad illud pertinent ; et morari apud episcopum assidue cum clerico et cum tribus famulis equitibus et uno pedite, sumptu episcopi hominibus et equis necessariis ; praeterea, in Pascha instructum varium, clamidem scilicet et pellicium, et in Natali Domini pelles vulpinas et pellicium griseium, quae et episcopo dare et cancellario recipere sit honestum. Quod si episcopus pro se vicarium aliqua occasione praestiterit, quem de manu Baiocensis episcopi suscepturus esset cancellarius, pro manu vicaria[m] non amittet. Haec autem omnia in

capitulo nostro, coram Ricardo, episcopo, Sansonis filio, et nobis recognita sunt, et postmodum coram successore ejus, altero Ricardo, publica attestazione firmata. Valet in Christo.